




VI
MATHEO
PERUSINI
DE
MEMORIA
EC.
64
INCUNABULI
L
5
3
Biblioteca Nazion
Centrale - Firenz
S. L.
ET A.









¶ Suo Reuerendissimo Patri & Domino.D.B. Zeno diuina miseratiõe presbytero Cardinali sanctæ Mariæ in porticu:Celsus Mapheus Veronensis canonicus regularis cõgregatiõis Lateranẽsis Salutẽ æternã & cõmendationẽ poptat.

s I reuerendissime pater & domine dixerimus quia peccatum nõ habemus iuxta Iohãnis apostoli sententiam nosmetipsos seducimus & ueritas in nobis nõ est.Ideo pie ac recte a sancta matre ecclesia institutum arbitror:ut omnis utriusq; sexus semel saltem in anno propria cõfiteatur peccata:quo per huiusmodi confessiõis humilitatem auctori nostro reconciliari mereamur cum quo peccando inimicitiam contraxeramus. A quo quidẽ salutari præcepto nec uos qui ecclesiastica præeminẽtia insigniti estis/exemit.Cum magis deceat eos qui excellẽtiori fulgent dignitate/etiam puriori conscientia nitere. Cæterisq; qui præsunt fidelibus non solum beneuiuendi præcepta tradere:sed etiam exempla monstrare.Tuo itaq; præcipuo hortatu & iussu ac nonnullorum aliorum patrum in hoc breui scrutatoriolo aliqua congessi capitula:quæ uobis atq; uniuersis ecclesiæ prælatis confiteri uo-



lentibus pro ſcrutanda conſcientia præter communes regulas quantum coniector ſatis cõmode inſeruire ualebunt. Nam iuſſis tuæ. R. dominationis non parere mihi grauiſſimum crimen cõmittere uideretur: cum quicquid in me eſt ingenii uel uirtutis: quod tamen parum uel nihil eſſe arbitror: tibi & eccleſiæ ſanctæ dei cupiam debere aſcribi atq; dicari.

¶Incipit Monumentũ compendioſum pro confeſſionibus Cardinalium/reliquorumq; prælatorum/præter cõmunes confeſſionum regulas: a Celſo Mapheo Veronenſi canonico regulari congregationis Lateranenſis congeſtum.

¶Capitulum primum de ingreſſu ad dignitates ordineſq; eccleſiaſticos quantum ad ſeipſos ſpectat.

¶Primo an acceperit beneficia: dignitates: uel magiſtratus eccleſiaſticos excõmunicatus: irregularis: ſuſpenſus: uel interdictus. quia non haberet executionem eorum. ¶An acceperit ordines aliquos ſimiliter excõicatus: irregularis: ſuſpenſus: uel interdictus: uel etiã in peccato mortali: quia ſemper peccaſſet mortaliter. Et in primis quattuor caſibus non haberet executionem

ordinum. ¶ An acceperit huiusmodi dignitates per symoniam/& maxime beneficia. quia tenetur renuntiare. Et anteq̃ dispensaretur per papã haberet beneficium furtiue: nec faceret fructus suos. ¶ An acceperit beneficiũ ad obsequia temporalia principaliter. quia etiam non excusatur a symonia. ¶ An procurauerit habere beneficiũ curatum pro se:& impetrauerit/etiam si sit alias dignus: quia tales preces æstimantur pro indigno uidelicet pro ambitioso & præsumptuoso. Et est symonia:& per consequens peccatũ mortale secundũ Thomam. iiª. iiᵉ. q. 100. ar. v. in respon. iii. arg. & in. iiii. sententiarum di. xxv. q. iii. ar. iii. in respõ. ad. iiii. arg. Et secundũ Ray. Hugo. Host. Goff. & alios. Et secundũ aliquos tene retur renuntiare. Pro beneficio autem simplici licet porrigere preces pro se si alias talis sit dignus. Aliqui uolunt q̈ liceat petere in generali beneficiũ ad sui sustentatiõem nõ habendo ocu los ad curã animarũ neq; ad gradus dignitatem Tamen Augustinus. xix. de ciui. dei. c. xix. dicit: Locus superior sine quo populus dei regi non potest/& si administretur ut decet: indecenter tamen appetitur. & habetur. viii. q. i. Qui episcopatum. ¶ An habuerit multa beneficia simul curata: uel habentia dignitatem sine specialissi-

ma dispensatione papæ:quia alias teneretur ad restitutionem fructuum.extra de præben.c.de multa. ¶ An habuerit plura beneficia simplicia uel curata etiam per papæ dispensationem non ad necessitatem sui status sed ad superfluitatē. non uidetur consciētia tuta quo ad deum:quia talis potius dissipatio q̄ dispensatio dicenda est. ¶ An fecerit uarias permutationes beneficioꝝ sine speciali licentia papæ:quia symoniacū iudicatur. ¶ An male tractauerit beneficia quæ iuste ac iuridice habuit uidelicet in cultu diuino: quia non fecit ibi impendi debita obsequia. In ædificiis:quia ea ruere dimisit. In possessiōibus quas male curari fecit. Non enim in his excusatur a mortali:immo tenetur ad restitutionem notabilis damni si euenit eius negligentia uel incuria. ¶ An male expendit fructus beneficioꝝ uidelicet ꝗ ultra necessitates suas ac familiæ honestæ dedit eos consanguineis nō indigentibus adulatoribus:histrionibus:epulonibus: lenonibus:luxuriosaq; parauit conuiuia.quia hæc bona pauperum sunt:& ad redemptionē peccatoꝝ qui ea reliquere:sanguisq; exquiret̄ eoꝝ:& peccata clamāt ad cælū. ¶ An iusta debita cōtracta a prædecessoribus suoꝝ beneficioꝝ noluerit soluere in damnū pauperꝝ & creditoꝝ:quia tenet̄.

¶ An ex fructibus ecclesiæ emerit res imobiles pro consanguineis: quia huiusmodi res debent esse ecclesiæ. Et an emit nomine alterius ut possit libere legare cui uelit uidelicet filiis suis aut matribus eorum: quia fraus est & sacrilegium: teneturq; ecclesiæ restituere. & nõ potest ille uel illa tute possidere/licet etiam esset ut dixi filius uel filia. ¶ An non curauerit seruare iura & priuilegia suorum beneficiorum: uel ex negligentia perire permiserit. ¶ An alienauerit res ecclesiasticas mobilia uel immobilia non cum euidenti utilitate ecclesiæ: aut etiam non seruata forma iuris. quia grauissimum peccatum est: Et animæ defunctorum qui ea reliquere uindictã expetunt. ¶ An renuntiauerit beneficiis suis ut dent nepotulis: consanguineis: amicis indignis uel spe præmii: aut precio iam accepto.

¶ Capitulum secundũ de ingressu ad dignitates beneficiaq; ecclesiastica quantum ad alios spectat.

¶ An cõmiserit symoniã in collatiõe beneficiorum quia si secrete id egit/ultra peccatũ mortale est suspensus quo ad se. Si uero notorie/est suspensus etiã quo ad alios. Si autem ipse non cõmisit

quærendũ est an fuerit cooperator uel medius huiusmodi cõtractus symoniaci uel consiliũ de derit uel saltem nõ prohibuerit in familiaribus in subditisq; suis:cum id sibi ex officio phibere incumbat:quia etiã hoc pacto non excusaretur a mortali. ¶An etiam contulerit aliquos ordines symoniace.& si id secrete egit ultra mortale erit suspensus quo ad se. Si uero notorie/suspensus erit etiã quo ad alios. Sed in utroq; casu ordinatus erit suspensus ab executione ordinũ:& indigebit dispensatione. ¶An cõtulerit ordines alicui clerico nõ habenti titulum uel beneficiũ: uel saltem patrimoniũ sufficiens:quia ultra peccatum tenetur ei expẽsas facere/quoadusq; prouiderit sibi de beneficio : nisi forte alius episcopus sibi cõmisisset:quia similiter ille ad hãc puisionem teneretur. ¶An contulerit alicui eadẽ die duos ordines sacros : uel quattuor minores cum subdyaconatu:quia est suspendendus a collatione talium ordinum:ut.c.litteras.ii.&.c.dilectus.extra de temp.ordi.Et an contulerit ignoranti & indigno:& non fecerit eum debite examinari : quia ultra mortale est suspensus a talis ordinis collatione per annum : ut in.c.Nullus. eo.ti.li.vi.Vel contulerit alicui alterius diocesis sine litteris dimissoriis:quia similiter est suspen

ſus per annum a collatiõe ordinum. Et interim clerici ſui abſq; ipſius licentia poſſunt a uicinis epiſcopis ordines recipere:ut eo.ti.eos.libro.vi. ¶ An contulerit plura beneficia uni in caſu non conceſſo:uel plures præbendas aut dignitates: ſeu alia plura officia : uel fuerit cooperator huiuſmodi collationum. ¶ An contulerit beneficia curata non habenti ætatem legitimam quæ eſt annorum.xxv.aut his qui nolũt ſe facere ad ſacerdotium promoueri infra annum:cum id iure prohibeatur. ¶ An per preces ſuas carnales impetrauerit beneficium ſimplex/uel curatum pro indigno:quia tunc æſtimantur preces illæ loco precii/& dicuntur carnales : ut uidelicet ſi homo ille eſſet malæ uitæ:uel ignorans:uel ambiens.quia ut dicit Gregorius:Locus regiminis ſicut deſiderantibus eſt negandus:ita fugientibus eſt offerendus.viii.q.i.In ſcripturis. Aut aliquo alio modo indignus:quia peccatũ eẽt mortale:& iudicat̃ ſymoniacũ.& oĩa mala quæ ex illa collatiõe ſequunt̃/ſibi ad iudiciũ imputabũtur. ¶ An fecerit cõferri beneficia iuuenibus nõ intendẽtibus clericari ſed uxorari:aut ꝓ aliquo tempore gaudere ex prouentibus beneficiorum quia certe peccatũ graue eſt & cõtra intentionẽ

ecclesiæ:eorumq; qui ecclesias dotauerũt. ❡An quando contulit beneficia uacantia uoluit pro se spolia defuncti aut fructus collectos benefi- ciorum retinere aut colligendos: noluitq; ea tra dere his quibus beneficia contulit. ❡An in dele ctionibus propositionibusq; uiro℞ ad dignita- tes prælatiões seu beneficia ecclesiastica nõ sem per præposuit sanctiores:doctiores:prudentio- resq;:sed potius alios ratione affinitatis:consan- guinitatis:amicitiæ:odii ue:aut seruitutis:seu p tinaciæ:quia in his uix quis a mortali posset ex cusari. ❡An promouerit aliquos ad ecclesiasti- cam dignitatem:uel fuit causa promotionis eo- rum præsertim ad animarum curam:quos ipse nouit perseuerare in peccato mortali:quia sic a nullo doctore excusaret᷑ a peccato mortali/licet ille talis quo ad alia exteriora æstimaretur di- gnus. Vnde legitur de sanctissimo Leone papa ꝙ cum per dies quadraginta uigilasset ad alta- re sancti Petri pro remissione suo℞ peccato℞:be atus Petrus per uisum dixit omnia sibi peccata remissa/illis exceptis quæ ex promotionibus in sufficientiũ cõmiserat. ❡An similiter sustinue- rit aliquos tales pseuerantes in peccato mortali in hmõi beneficiis curatis:cum eos posset am- mouere si illud sibi incumbat ex officio:qa illud

est relinquere gladiū in manu furiosi . propter hoc non excusatur a mortali/maxime ex regula quæ ait : Qui causam damni dat damnum dedisse uidetur. ¶ An fuerit impedimento habentibus zelum ecclesiæ dei:ut non proponant meliores doctioresue ad dignitates aliaq; officia ecclesiastica.ac etiam ne alia multa bona sanctaq; & ad reformationem ecclesiæ dei necessaria exequantur.imo tales uiros deluserit detrahendoq; eis hypocritas uocauerit.

¶ Capitulum tertium de regimine uitæ quantum spectat ad seipsos.

¶ An existēs in peccato mortali:uel excōicatus: seu suspēsus:aut irregularis:uel interdictus:executus fuerit officium alicuius ordinis:quia semper mortaliter peccasset. Si aūt excōmunicatus: suspensus:uel interdictus:ultra peccatū mortale incurrit irregularitatē. Sed irregularis ꝑ quacūq; uice exercet officiū suū peccat mortaliter. ¶ An concubinā notorie tenuerit:quia suspensus est ab executione beneficioꝝ & ordinum:& maxīe a celebratione missæ.& si exequit̄ efficit̄ irregularis & indiget dispensatione papæ scđm Host. ¶ An laxauerit habenas ad cōsuetudines

uanaq́ȝ colloquia cum mulierculis/ex quo mul
ti ſcandalizantur:& ipſe hoc nouit:licet malum
non ſequatur in ſeipſo/nō tamen eſt tutus a pec
cato mortali propter ſcandalum aliorum : quia
ut plurimum minores maiorum imitant̃ exem
pla. Similiter de conſuetudine etiam maſculoꝝ
formoſorum ac more mulierum ornatorum ali
qua perſcrutatio fieri poteſt propter ſcandalum
& murmuratiōes puſillorum. ¶An libenter au
res præbuerit delatoribus murmuratori buſ ue:
ſeu ad detrahendū alios induxerit/maxime de
ſummo pontifice:cum grauius periculoſiuſq́ȝ il
lud ſit crimen . Nam ſecundum Bernardum/&
detrahens & audiens diabolū portat/in morta
liq́ȝ crimine uerſatur. ¶An delectatus fuerit co
ram puſillis diſputare contra fidē:contra īmor
talitatē animæ:quaſi ipſe nō credat aliā uitam
ſeu penas inferni uel gloriā paradiſi.& ita ſerui
tores puſilli ſcandalizant̃. ob idq́ȝ ſe īmergunt
laſciuiis huius uitæ dicentes alterā uitā nō eſſe
poſtq̄ nec patres maiores credunt eam. ¶An in
ludo ſchachoꝝ alearum ue multū tempus ami
ſerit:delectatuſq́ȝ fuerit intereſſe choreis aliiſ ue
ſpectaculis non religioſis. ¶An ſe totum īmer
ſerit ſecularibus negociis temporalibuſ ue:ma
giſq́ȝ curauerit externa hæc omnia aut bona cor

poris q̃ animaꝝ quæ æterna ſunt.cum hmõi di
gnitates ꝑpter ſpiritualia principaliter ordina/
ta ſint/q̃ propter temporalia . Et qui magis ua/
cat temporalibus q̃ ſpiritualibus dicitur eſſe ſe/
cundum Auguſtinum ſal infatuatũ euangelii.
¶An in gubernatione familiæ correctioneq; ui
tiorum multum furibundus clamoroſuſq; fue/
rit:modeſtiamue omnem amiſerit:quæ principi
bus eccleſiaſticis præcipuum ornamentum eſt.
¶An proprias iniurias ulciſci uindicareq; uolu
erit:cum patientiæ exemplum ſuis ſubditis eſſe
debeat. ¶An in ueſtibus:uaſis argenteis:para/
mentiſq;:ac reliqua ſupellectile nimis põpoſus
ſuperfluuſq; fuerit. An ſimiliter ſuperfluam uo
luerit habere familiam:fabricaſq; deauratas cõ/
ſtruere uoluerit cũ ſcandalo ſecularium/ac con
tra Ambroſii & Hieronymi ſententias.xii.q.ii.
c.Aurũ.&.c.Gloria. &.xii.q.i.c.Epiſcopus eccle
ſiaſticarum.¶An pacis ſtudioſus fuerit.omnes
patientia ſuperans.nemini adulator/licet omni
bus affabilis eſſe debeat.de præſidentia digni/
tatis nõ gaudens:quin magis de onere animaꝝ
ſibi cõmiſſaꝝ dolẽs:cũ ſũme formidare debeat
cogitãs de ſingulis ſibi cõmiſſis diſtricte in ho/
ra mortis debere iuxta Gregorii ſententiã rõem
reddere . ¶ An ſtudio litterarum toto pectore

nõ incubuerit:librisq; sacris magis q̃ secularibus negociis nõ oblectatus fuerit. ¶An ad faciẽdas elemosynas manus ꝓfusas nõ habuerit cognoscẽs ꝙ quæcũq; bona fidei suæ cõmissa sunt:substantiæ pauperꝝ sunt:ac purgamenta peccatorꝝ seculariũ.xvi.q.i.c.Quoniã.¶An nõ fecerit exequi ultimas uoluntates defunctorꝝ:uel nõ recte dispensauerit legata ad pias causas:aut alia bona incerta.¶An in cõuersatione religiosorꝝ aliorũq; bonorꝝ uirorꝝ magis q̃ reliquorꝝ hominũ nõ oblectatus fuerit:& ad hmõi conuersationes familiã propriã non incitauerit atq; compulerit. ¶An deambulationes suæ nõ fuerint circa uisitationes ecclesiarꝝ locorũq; sacrorꝝ ac indulgentiarꝝ:nec deuitauerit uenationes ac reliqua secularia exercitia. ¶An concesserit pecunias suas mercatoribus ad lucrandum:permiseritq; subditos clericos quibus interdicta est negociatio id agere seu alio modo negociari.

¶Capitulũ quartũ de regimĩe uitæ q̃tum spectat ad officia aliasq; cerimonias diuinas.

¶An omiserit horas canonicas ex negligẽtia:qa ꝑ qualibet die uel pro qualibet hora quã omittitur officiũ:nisi infirmitate uel impossibilitate

compellatur incurrit peccatũ mortale: etiã si dimittit officiũ beatæ uirginis quãdo dicere tenetur scdm rubricas. ¶ An dicendo horas canonicas se imiscuerit aliis negociis uel exercitiis: qa uidet mortale cũ nõ satisfaciat præcepto ecclesiæ/intentiõiq; legis/quæ intẽdit obligare tales psonas p aliquod spatiũ tpis ad uacandũ circa diuina. ¶ An cũ somnolentia & multis oscitationibus dixerit: adeo ut nec uerba explicauerit p maiori parte: ita q tunc scdm doctores tenet refficere officiũ uel dicere aliqd æquiualens. ¶ An cum irrisionibus dixerit officium: aut leuitates fieri ab aliis passus fuerit tempore officii: ita q animus eius distractus fuerit ab officio. ¶ An cum diceret officium mente circa alia uagauerit uoluntarie/non curans de attentione ad officium: quia uidetur mortale. Secus est si proposuerit uelle attendere sed distrahitur: & tamen cum aduerterit displicet ei: quia attentio uirtualis sufficit secundũ doctores. ¶ An dixerit matutinum hora tertiarum: uel uesperas quarta hora noctis: uel horas non dixerit nisi cũ maxima ipsaꝝ transmutatiõe: uel oẽs horas simul inglutierit quo liberius uacet nugationibus non necessariis. ¶ An cũ iuit ad refectiões benedixerit mensam & quæ cibo sumpturus est. Similiter

an post ciborꝝ sumptionē egerit gratiaꝝ actiões ut præcipit di.xliiii.c.Nō licet.¶An in conuiuiis fecerit aliquos legere sacras lectiones ut dr̄ di.xliiii.Pro reuerentia.Nā dū corpus reficitur diuersis ferculis nisi lectione retrahatur lingua in detractionibus relaxat ut dicit Gregorius:& habet di.xliiii.Cōuiuia.¶An nimis negligens fuerit ad celebrandū:quia saltem in diebus solennibus celebrare debet/ne frustra uideat tam excellens accepisse talentum:uel ipsum in terrā fodisse:quia forte non excusatur a mortali. uel si celebrauit non dictis matutinis & prima: ut est de more Romanæ curiæ:quia si etiam secus egisset tenetur de mortali secundū quasi omnes recte sentientes.Et maxime de matutinis.¶An cum passus fuit pollutionem nocturnā ex causa mortali:uel quā dubitauit mortalem celebrauerit: quia uidet secundū Thomā fuisse mortale.nec excusatur per confessionem ut nō debeat abstinere a consecratione uel communione:nisi forte propter necessitatem populi excusaret qui esset i die festo absq; missa.Talis necessitas posset facere ꝙ etiā contritus & non confessus quādo deest copia sacerdotis posset celebrare sine peccato cum proposito confitendi.Si uero causa pollutionis fuit uenialis:tunc peccaret uenia

liter. ¶ An in confectione sacramentorum uel administratione omiserit debitam materiã: uel formam: uel ritum. In quolibet horum est mortale/etiam si id egit ex ignorantia crassa. ¶ An cum multa irreuerẽtia seu irreligiositate tractauerit oĩa diuina. dissolutionesq; fecerit in ipsis: seu nugatiões: risus: derisionesq;. ¶ An assiduus nõ fuerit ad frequentiam orationum: quibus ei lumen de cælo ad regendum populum sibi cõmissum exhibetur & ardor ad perficiẽdũ quod sibi ex officio iniunctum est. ¶ An diebus festiuis uel dominicis non fuerit in ecclesia ad diuina: ut dicitur de conse. di. iii. Episcopus.

¶ Capitulũ quintũ de regimine uitæ prælatorum quantum spectat ad curam aliorum.

¶ An in suis beneficiis maxime ubi habet cura animarum nõ posuerit uiros prudentes: doctos: & timoratos: quia si ignorãtes & iniquos: & tales cõmiserint errores sibi imputabunt. ¶ An non dederit operã ut suis temporibus oĩa suis subditis impendãt sacramenta: ut crisma: consecrationes: reliquaq; omnia sacra necessaria: quæ si sua negligentia omissa erunt non excusabit a mortali. ¶ An nõ curauerit ut summo studio omnes

ecclesiæ suis diocesibus subiectæ p idoneas san-
ctasq; personas uisitentur: maxime si id munus
ipse perficere non poterit aut noluerit: cum iure
cautum sit ut semel in anno omnes ecclesiæ ab
episcopis uisitentur. x. q. i. Decernimus. &. c. Epi
scopum. Et q in ipsa uisitatione crimina puni-
antur: quia alias quæcunq; inordinata cōmissa
fuerint sibi ascribentur. ❡ An quando fecit ui-
sitare uel ipse uisitauit/magis motus fuerit spe
census uel lucri q̄ salutis animarum. ❡ An in
huiusmodi uisitationibus nimium aggrauaue-
rit uel permiserit aggrauari subditos suos aut
ecclesias sibi subiectas: ipsasq; uisitationes non
fecerit cum paucis seruitoribus paucisq; equis:
propter euitandas expensas superfluas paupe-
rum sacerdotum: quia quandoq; uno die fit con
sumptio ciborum multorum dierum. ❡ An con
cesserit uices suas/aut iurisdictiōem suam: quæ
est quid spirituale: aliquibus sub aliquo precio:
uel sub annuo censu: contra id quod dicitur ex
tra Ne præla. uices suas. c. i. ii. &. iii. ❡ An in hu-
iusmodi uisitationibus a se factis non correxe-
rit sacerdotes notorios concubinarios adulteros
ac omnia alia uitia criminalia manifesta dico
manifeste & secreta secrete. Et illa de quibus ha
buerit aliqualem notitiam ulterius non quæsi-

10

erit uel ſubtilius inueſtigauerit. Et hoc ex negli gentia craſſa uel muneribus uictus uel timore humano: quia non excuſatur a mortali niſi for te id faceret ad uitandum maximum ſcandalũ. Secundum enim Auguſtinum ad Valerium: Nihil in hoc mundo triſtius: miſerabilius: & dã nabilius epiſcopi dignitate/ſi perfunctorie: id eſt negligenter & adulatorie res agatur. di. xl. Ante omnia. ❡ An doctrina: exhortationibus: & exemplo ſanctitatis conatus non eſt ſibi ſub ditos deducere ad paſcua uitæ. Et ſi ipſe ignora uerit uel non habuerit exercitium declamandi in populis/nõ eſt conatus habere optimos præ cones chriſti: qui populos ad uirtutem inflam ment & retrahant a uitiis & huiuſmodi. ❡ An ſi ipſemet prædicauerit populis ſibi ſubiectis id egerit in peccato mortali: quia totiens pecca uit mortaliter quotiẽs prædicauit: ſecũdũ Tho. Leuitici. xxi. erat præceptũ ut q hẽret maculam non accederet ad miniſteriũ aliqđ dei ſui. quod intelligit̃ ſecundũ Gregoriũ de peccato morta li di. xlix. Hinc eteni. ❡ An in diffiniẽdis cauſis dãdiſq; ſentẽtiis prætermiſſo ordine iuris/ſuo ſe uoluerit capite regere tanq̃ optio decreto: uel no luit iudicare cum deberet: & ex hoc aliqs amiſit

b.

ius suum/graueq; passus est detrimentum: quia mortaliter peccauit. tenetur q; secundũ doctores ad æstimationem litis. ¶ An odio: amore: timore: uel censu protulerit iniquas sentẽtias. aut id etiam egerit ex ignorantia crassa: quia nõ excusatur a mortali. & tenetur parti læsæ/si ille pro quo sniam tulit nõ uult/satisfacere. ¶ An magis punierit subditos pœna pecuniaria ex auaritia q̃ alia pœna. ¶ An fecerit uerberari clericos per manus laicorum: nisi quando essent incorrigibiles: quia periculum est excõicationis. ¶ An nimis uelox fuerit ad fulminandas excõmunicationes præcipiendumq; omnia sub censuris ecclesiasticis: & maxime ĩ his in quibus ei subditus non tenetur obedire: utputa reuelare peccata criminalia aliorum occulta & similia: quia tũc etiã non excusatur a mortali. ¶ An in inquisitionibus criminũ: accusationibus: denuntiationibus: uel ꝑlationibus sniaꝶ & hmõi præcipitanter nimis se gesserit cum scandalo & detrimento subditoꝶ. ¶ An in iudiciis excesserit fines auctoritatis suæ uel mandati: quia nõ excusaretur faciliter a mortali. ¶ An dũ iudicare tenet́ nõ elegerit auditores: assessores: uel cõsultores doctos: ne aliqd præcipitãter uel ignoranter

ageret:qa nõ excusaret a peccato & a restitutiõe damni dati si secus fecisset.❡An acceperit pecuniã cũ sit iudex ut iudicaret etiã iuste:qa non excusat a mortali.Moderata tamẽ enxenia põt accipe di.xviii.de Eulogiis.Delegatus tñ põt accipere moderatas expensas pro se & ꝑ assessore.

❡Capitulum sextũ de regimine prælatorum quantũ spectat ad excellentiam dignitatis auctoritatisq; eorum.

❡An cum fuerit inter primates ecclesiæ non conatus sit etiam alios præcellere sanctimonia:doctrina:prouidentia & sapientia.nolueritq; ut cõgruum est locum illum ornare summis uirtutibus.Nam Cardinales secundũ doctores repræsentãt angelos assistentes domino/& præsertim Seraphim:& Episcopi angelos missos.❡An in creandis eligẽdisq; aliis nouis cardinalibus magis secutus fuerit fauores uotaq; principũ/q̃ rectum cõscientiæ iudiciũ.❡An elegerit aliquos cũ conuentiõe & promissione suoꝝ uotorum de rebus suis in conciliis proponendis:aut saltem de electione ipsius uel eius amici quem ipse uoluerit in futurum pontificẽ.❡An magis delegit

cariores sibi q̄ sanctiores et utiliores ecclesiæ dei
seu qui forent ad præcipuum ornamentum il-
lius collegii. Nam cardinales a spiritu sancto
iudices orbis constituti sunt. ideo præcipua san
ctimonia nitere debent. Sunt etiam consulto-
res orbis. ideo singulari doctrina debent fulge-
re. Sunt demum rectores uniuersi orbis. ideo
ætate grandæui: aut saltem usu multarum re℞
debent præeminentes esse. ¶ An in relationibus
quæ de more pro assumēdis ad dignitates suis
in conciliis fiunt/non iuxta rei ueritatem & ꝓ-
mouendi mores aliis patribus pure & recte re-
tulerit: quia tunc eorum collegium ueritate &
rectitudine iudicii/eius opera fraudat᷑. ¶ An ab
aliis patribus uota in fauorem suorum promo-
uendorum iniuste extorserit etiam cum pollici
tatione de rependendis sibi alias huiusmodi ini
quis uotis: quia nō excusaretur a mortali. ¶ An
reuelauerit quæ dicta uel tractata sūt secrete in
eo℞ consistorio: uel habet a pontifice sub silen-
tio: aut scripserit extra curiam & maxime prin-
cipibus ad aucupandū eo℞ gratiam: uel ad be-
neficia consequenda. ¶ An quandoq; consulue-
rit pōtifici in his quæ sibi ad ruinam & ignomi
niam futura sunt. Et an idipsum egerit cū aliis

patribus sui collegii quasi aliorum opprobrium ad eius cedat singularem gloriam. ¶ An promi-sit uotum suum extra cōsistorium & ad partem in re graui: cum id quandoq; cedat ad scandalū sui uel confratrum suorum/& contra essentiam sui officii sit. Nam substantia officii cardinala-tus est bene cōsulere. Consilium aūt secundum Aristo. 3°. ethicoꝝ est de re dubia; & quæ longo indiget discursu. Auditis enim postmodum ra-tionibus aliorum patrum contra id quod facili ter promiserat si id noluerit seruare leuis aut in fidelis existimabit͛. Sed si id inique seruare uo-luerit/ad pertinaciā in malum & ad sui ipsius interitum attribuetur. ¶ An demū in omnibus consultationibus: diffinitionibus: seu uotoꝝ ex-hibitionibus: reliquisq; in suis conciliis propo-nendis animū nō seruauerit liberū/ imo magis secutus fuerit factiones: odia: amicitias: ꝓpriaq; cōmoda. ¶ An etiam in proponendis in cōciliis timore aut gratia pontificis seu alioꝝ patrum li bere loqui noluerit: ob idq; aliquid diffiniri uel cōcedi ꝑmiserit ubi dei uel proximi offensa in-teruenerit: & sic a culpa mortali non excusabit͛. ¶ An similiter timore uel gratia humana deui-ctus: quod conscientia sibi dictauerit defensare

uel libere oppugnare noluerit. Et licet ea in re dei offensa directe non interueniat: tamen maius bonum honoris diuini: ecclesiæ cõmodi: uel iustitiæ proximi omittitur: quod forte ex sua libera consultatione sortiretur effectum. ¶ An in electione summi pontificis uicarii christi/successoris Petri/pastoris uniuersalis ecclesiæ/non elegerit meliorem doctioremq;. ¶ An ante ingressum conclauis promisit etiam cum iuramento dare uota alicui inepto aut minus idoneo ad tantum onus gubernationemq; uniuersi populi christiani. ¶ An ut ipse etiam consequeretur uotum alterius huiusmodi ineptissimo dedit uota sua. ¶ An spe præmii: uel ꝓmissione pecuniæ: officii uel domus: aut beneficii: seu cuiuscũq; alterius quæ precio æstimari possunt pollicitus est ipse uota sua. ¶ An talia oblata ob huiusmodi exhibitionẽ suffragioꝵ postmodũ acceperit: quia nõ excusaret a symonia graui. ¶ An ut non darentur uota digno & benemerẽti sibi detraxerit in rebus grauibus & criminalibus: aut quocunq; alio modo. ¶ An similiter permiserit uiolari ecclesiasticam imunitatem & dignitatẽ: ut uidelicet debitores aliiq; facinorosi hoies extrahant a locis sacris: aut q clerici coueniant a iudicibus

secularibus seu puniant̃:aut q̃ bona seu eius iu risdictio a secularibus usurpent̃. ¶An similiter fecerit clericos soluere talias:gabellas:pedagia: aliasq; angarias:uel saltem permiserit: quia eos pro uirili sua non defensauerit:cum ad eum maxime spectet. Et iure antiquo & nouo clerus ab huiusmodi oneribus imunis esse debeat. ¶An in uotis & iuramentis:aliisq; sententiis & casibus sine causa rationabili dispensauerit. & præsertim de his in quibus non potuit: cum illud graue sit crimen. Sed longe magis si dispensauit de operibus perfectionis:ut de uoto castitatis & religionis:ubi secundũ doctores nõ datur melior compensatio. ¶An saltem fuerit mediator uel consultor huiusmodi dispensationum: quæ secundum Bernardum potius dicẽdæ sunt dissipationes q̃ dispensationes: quia tenetur ad omne damnum quod inde sequitur. Et tales sic dispensati sine causa urgenti & necessaria non sunt tuti quo ad deũ. ¶An ipse ob dignitatẽ excellentẽ cõtempserit iura & decreta sanctæ Romanæ ecclesiæ:uel nõ existimauerit excõicationes & alias censuras ecclesiasticas:non feceritq; existimari a subditis suis:passusq; fuerit eos sciẽter sponte pticipare cũ excõmunicatis a papa in

diuinis:quia & ipsi incurrunt in eandem excõmunicationem papalem: ut extra. de sen. ex. Significauit. ¶ An susceperit & tutatus fuerit causas religiosorum: pauperum: uiduarum: pupillorum: & afflictorum: quoniam prælati debẽt esse patres & tutores huiusmodi personarum: ut di. lxxxvii. per totum. ¶ An demum cum dicantur cardines super quos uniuersus orbis rotari debet/non direxerit oculos suos semper ad dominum & ad incrementum ecclesiæ sanctæ eius: cuius præcipua illuminaria esse debent. Necnõ ad ædificatiõem & profectum omnium gentiũ quæ sub cælo sunt: & quarum partes præcipui appellandi sunt.

¶ Explicit breue scrutatoriolũ ꝓ confessionibus cardinalium reliquorũq; prælatoꝝ a Celso Mapheo Veronensi canonico regulari congregationis Lateranensis cõgestũ. ¶ Incipit eiusdẽ aliud breue scrutatoriolũ peccatoꝝ pro cõfessionibus.

Rimo habendæ sunt conditiones confiteri cupientis: scilicet an peregrinus. an uxoratus. quæ sit eius ars & his similia. ¶ Secundo a quo tempore citra confessus aut communicatus nõ est.

¶ Tertio an tunc omnia dixerit sacerdoti pecca ta: seu in aliquo ei mentitus sit. ¶ Quarto an tunc perfectam habuerit cõtritionem & propositum satisfaciendi de omnibus tunc sibi necessariis. ¶ Quinto an compleuerit omnia sibi iniuncta: & an in statu gratiæ: quia quædã in peccato mortali non ualent secundum Thomã & nonnullos alios: ut orationes & cætera. Et si nõ fecit utrum recordetur pœnitentiæ. ¶ Sexto cui confessus est: utrum habenti utranq; clauem. s. scientiæ & potestatis. Nam in similibus homo reiterare tenetur confessionem aliquo modo.
¶ Septimo an nunc de omnibus offensis doleat & uelit satisfacere: atq; aliena reddere si habeat.
¶ Octauo an nunc sit excõmunicatus uel fuerit tunc quando alias confessus fuit: quia non fuit capax absolutionis nec nunc esset nisi prius habita absolutione ab excõmunicatione. ¶ Numerus semper mortaliũ peccatorum dicendus est: qui si pro certo sciri nõ potest/iuxta id quod cõiecturatur dici potest.

SVPERBIA

Superbia est inordinatus affectus ꝓpriæ excellentiæ. ¶ Primo homo scrutari potest an deo nostro fuerit subditus in omnibus: cognoscens ab

ipso corporalia & spiritualia beneficia: & ex hoc gratias ei debitas reddiderit: atq; i omnibus nomini eius laudes ascripserit: necnõ eum ob hoc super omnia dilexerit. ¶ An eius fidei fuerit subditus: idest omnia necessaria crediderit & symbolum sciuerit. ¶ An aliquo genere nicromantiæ usus fuerit. ¶ An cæteris incantationibus: sortilegiis: diuinationibus: signationibus infirmitatum: breuibus: obseruationibus uanis dieꝝ uel stellarum: aut huiusmodi uetularum delirantium portentis seu somniis usus fuerit aut crediderit. ¶ An nomen dei in uanum assumpserit: idest iurauerit in mendacio uel sine causa. ¶ An peierauerit solenniter. An non solenniter tamen scienter aut in damnũ alterius. ¶ An execratione usus sit: puta dicens: Si hoc non agam possim damnari/uel illud mihi accidat. ¶ An fecit quempiam iurare quem sciebat falsum iuraturum: quia occidit animam eius & suam iuxta Aug^m. ¶ An blasphemauerit deum uel sanctos uel ignominiose dixerit ꝑ membra ipsoꝝ & cætera. ¶ An maledixerit deum uel sanctos: uel dixerit eum hoc non posse: & his similia: ut cõtra uelle eius hoc faciã. ¶ An stulta uota & illicita fecerit & impleuerit. ¶ An uota honesta & lici-

ta implere omiſit. ⁋An celebrauerit dies feſtos: audiendo miſſas/non laborando/& quieti diui næ uacando. ⁋An in eccleſiis & ſacratis locis il licita commiſerit. Seu rebus ſacris abuſus fue/ rit. ⁋An maioribus temporalibus & ſpirituali/ bus obediẽs fuit uel ſubiectus. ⁋An debitis ho noribus proſecutus eſt:ac neceſſaria prouiderit maxime parentibus & domeſticis. ⁋An ſe de his iactauerit quibus minime prædirus eſt/ſci/ entia:exiſtimatione:ſanctitate:fortitudine: pru dentia:fide:pulchritudine:ſanguinis antiquita te:diuitiis:cæteriſq; uirtutibus. ⁋An ſi ornatus fuerit iis:tamen ſe extulerit perinde ac proprio ingenio induſtriaq; iſtæc oĩa aſſecutus ſit/non dei gratia. ⁋An de his paſſim ſe laudauerit uel laudari uoluerit &ſi a deo cognoſcat. ⁋An cæ/ teros deſpexit appellans homines nullius mo/ menti aut exiſtimationis uel ingenii. ⁋An cle/ ricos aut religioſos deſpexit appellans ipſos hy pocritas tanq̃ ipſe rectius ambulet. ⁋An ſta/ tum ſuum ſtatui religionis præpoſuit. ⁋An or natu inuſitato uel eius facultatibus non conue/ nienti uſus eſt. ſeu uxorem uel filios paſſus eſt uti. ⁋An circa ornatum multum temporis con/ ſumpſit.uel ipſo inaniter delectatus eſt. ⁋An ſe

ornauit ut quoſpiam in ſui libidinem excitet. ¶ An ſingularis in omnibus apparere uoluerit ſcilicet dicto:opere:ornatu:& ſimilibus. ¶ An de ſe nimiũ præſumens periculis mortis expoſuerit.ſ.aut haſtiludiis uel huiuſmodi. ¶ An alios ad id induxerit:præſertim ad curſum equorum & cætera. ¶ An ſe de malis iactauerit:aut mala ceu bona defenſauerit:uel ſe humiliare noluerit de ſuis exceſſibus. ¶ An nimis de miſericordia dei præſumpſerit:& ob hoc noxia eſt aggreſſus poſthabito timore dei.

AVARITIA

Auaritia eſt non rectus appetitus rerꝫ temporalium extrinſecarꝫ. ¶ An ſupra deũ & proximũ iuſtitiã & uirtutes/pecuniam dilexerit: adeo ꝙ eius gr̃a oĩa illa contempſerit. ¶ An furtum cõmiſit. An rapinam. ¶ An quempiã ad huiuſcemodi adiuuauerit:præſertim cõtra Romipetas & peregrinos:quia papalis excõicatio eſt per curiæ proceſſum. ¶ An ſacrilegium perpetrauit. ¶ An huiuſmodi ſuo auxilio uel cõſilio peracta ſint. ¶ An uſurã uel pecunia uel aliis rebus quibus cõmitti põt.ſ.uino/frumẽto/fecit. ¶ An fecit ſtoca uel alios cõtractus in fraudẽ uſuræ noĩe.ſ. emptiõis uenditiõis & locationis. ¶ An mutuauit ut acciperet aliquid ultra ſortẽ uel aliquod

ab eo consequeretẽ obsequiũ:quia sapit usuram.
¶An in socidis animalium usuræ speciem exer cuit.s.uolens capita imortalia.¶An propter tẽporis dilationem uendidit maiori precio. ¶An cambia illicita fecit:sicca uidelicet.¶An sine necessitate accepit ad usuram/seu mala intentiõe.
¶An in emptionibus & uenditionibus cõmisit excessum circa maius & minus.¶An uendidit rem unã pro alia:seu corruptam pro bona.¶An sit peccato symoniæ irretitus.¶An decimaꝶ debitũ persoluerit.¶An ludo fortunæ maculatus sit.¶An datia fraudauerit.¶An aliquid acceperit pro actu turpi.s.ꝑ meretricio/sodomitio/aut pro labore in diebus solennitatum.¶An instrumentis uel lr̃is falsis aut testibus usus sit.¶An mendaciũ ꝑniciosum uel sui gratia uel alterius dixit:quia mortale. Quodcũqꝫ enim mendaciũ iuxta Augustinũ peccatũ est ueniale uel mortale:nec usq̃ aut unq̃ eo uti licet.¶An res alterius ad eius manus ꝑuenerint quoquo modo. ¶An ob auaritiã familiæ & seruis necessaria non prouiderit. ¶An distulit dare mercedem operariis indigentibus.¶An etiam pecunias uel res alienas aut suas prodige ac sine rationis ordine distraxit atqꝫ consumpsit.

INVIDIA

Inuidia eſt dolor alieni commodi/& gaudiũ infortunii. ❡An inuidia gloriam & commodum cuiuſpiam impediuit. ❡An alicuius famam uel exiſtimationem minuit/ei aliquod obiiciens crimen. ❡An rixas diſcordiaſue inter amicos propinquos extraneoſq; diſſeminauit. ❡An murmurationes atq; ſuſurrationes hincinde contra proximum ſparſit. ❡An in malam partem proximum iudicauit ſeu ſiniſtri aliquid de eo ſuſpicatus eſt nullis tamẽ eum ad id impellentibus indiciis. ❡An gaudium de eius incõmodis ſeu temporalibus ſeu ſpiritualibus ſuſcepit ſeu ſtulte in cachinum prorupit. ❡An ſecreta cuiuſq̃ reuelauerit præſertim habita ſub confeſſionis ſigillo. ❡An partes & factiões ſecutus eſt ex quo proximi perditionem optat. ❡An amicis eius inimici optauit incommoda multa. ❡An etiam de profectu alterius ſine modo rationis exultauit/& præſertim quando non ſunt de ſpectantibus ad deum & uirtutes. ❡An ſuis adulationibus aliquem in errorem induxit uel elationem. ❡An aliquorum male acta applauſu ſuo commendarit/& ex hoc illi in malum confirmantur.

GVLA

Gula est irrationabilis affectus ciborum uel potus. ¶ An fregit ieiunia de præcepto: & an ipsis diebus comedit cibos illicitos: puta caseum & oua. ¶ An inebriatus est scienter: scilicet arbitrans uinum obfuturum sibi. ¶ An crapulatus est usq; ad uomitum. ¶ An gula comedit nociua animæ & corpori & ob hoc longiorē passus est infirmitatem. ¶ An tempore infirmitatis cōtra medici regulas contraria comedit. ¶ An cibis nimis laute conditis functus est. ¶ An horas cō gruas ex ingluuia non expectauit: & in comedendo nimiam habuerit delectationem. ¶ An aliqua ad libidinem prouocantia dedita opera uel sciēs sumpserit. ¶ An fuerit causa inebriationis in altero: aut fractionis ieiunii.

IRA

Ira est animi īmoderata indignatio cōtra quod cunq; sibi oppugnās. ¶ An ex ira primo aliquē occiderit. ¶ An aliquē mutilauerit seu uerberauerit: aut sanguinē effuderit/maxime psonæ ecclesiasticæ. ¶ An ad hoꝝ similia desiderium habuerit: & quotiens determinate. ¶ An eius cōsilio uel præcepto uel pmissione in quantū prohibere potuerit tale quid perpetratū sit. ¶ An ex

odio aliquẽ alloqui uoluerit seu aspicere. ¶An maledixerit parentes: aut cuipiam cõuitia dixerit: uel blasphemia quadã sibi malum optauerit ¶An ex ira in deum uel sanctos eius indignatus sit/uerba ꝓloquendo insulsa: ut dicens deus iniustus uel partesanus est: & cætera. ¶An mortem sui ipsius optauerit ira quadam. ¶An ira fregerit quodcunq; obuium inuenerit. ¶An maledixerit animas defunctorum. Seu diabolũ inuocauerit in eius patrociniũ. ¶An maledixerit diem & horam natiuitatis/baptismũ/& similia. ¶An ira nimis clamorosa atq; intonantia semp effuderit uerba. ¶An quodcunq; istoꝶ præsentia filioꝶ seu alioꝶ pueroꝶ egit qui eius exẽplo ad hæc incitantur. ¶An etiam sua ignauia atq; superflua animi tranquillitate uel etiam aliquo humano respectu uel metu familiam seu quoscunq; errantes non correxerit: maxime quando ei ex officio incumbit. ¶An etiam puniens aliquẽ/& si iustitiæ seruet regulas: tamen odio atq; mentis indignatione id explet. ¶An ueniã sibi petentibus noluerit præstare: uel ipse petere si cuiq̃ fuit molestus.

LVXVRIA

Luxuria est intẽperatus animus circa uenereos

actus. ¶ An primo tenuerit concubinam.s.mu-
lierem solutam. ¶ An fornicationem cõmiserit:
cum quãtis/& quotiens. ¶ An adulterium:idest
cum uxore alterius. ¶ An stuprum:scilicet cum
uirgine. ¶ An incestum:quod est cum coniun-
ctis uel cõsanguinitate uel affinitate seu cogna-
tione legali uel spirituali. ¶ An sacrilegium:qđ
est cum sacris personis. ¶ An raptum:quod est
per uim. ¶ An seduxit aliquam pollicens ei per
petuam fidem matrimonii. ¶ An cũ uxore usus
est in loco non debito aut modo non rationali
sed pecudum more:uel cum quacũq; alia. ¶ An
dum cum uxore esset habuit animũ ad aliam:
quia mortale. ¶ An tempore menstrui se absti-
nuit. ¶ An quando est pregnans:propter pericu
lum partus. ¶ An diebus solennitatum se absti-
nuit:seu ieiuniorum tempore. ¶ An cum uxore
nõ causa prolis aut iustitiæ seruãdæ sed sola in-
frenata concupiscentia est usus. ¶ An debitum
uxori reddere noluerit:quia tenet. ¶ An multũ
impudice se habuerit circa tactus oscula et simi
lia:quæ iuxta Aug^{m}.sacro nõ conueniũt matri-
monio. ¶ An dũ esset cũ muliere egit ut ipsa nõ
conciperet:aut abortiuũ emitteret. ¶ An se cum
masculis miscuit actiue uel passiue. ¶ An in hoc

aliqua uis uel fraus fuit uel inſcio patiẽte. ¶ An ſeipſum polluit: uel cauſa fuit alterius pollutio-nis. ¶ An in beſtialitatem incidit ſcilicet cũ brutis. ¶ An in loco ſacro aliquid horum accidit: uel diebus ſacris. ¶ An ex tactu uel oſculis pol-lutio in altero ipſorum ſecuta eſt. ¶ An amoris ſcripſit litteras ſeu legit libros ad libidinem ꝓ-uocantes: ut eis accendatur in malũ. ¶ An can-tauerit huiuſcemodi inhoneſta. ¶ An duxit alios ad procandum ¶ An mediator horum malo-rum fuit ſcilicet præbendo domum/modum/& cætera. ¶ An deliberauerit cum aliquibus pec-care: & cum quantis/qualibus/& quotiẽs. ¶ An conſenſerit delectationibus libidinis: nã ſi actũ nollet/peccat tamen mortaliter. ¶ An hoc uitio tantum corruptus fuerit ꝙ infirmatus ſit.

ACCIDIA

Accidia tedium eſt circa bona ſpiritualia & corporalia. ¶ An cum tedio audierit miſſas & præ-dicationes cæteraſqꝫ diuinas laudes. ¶ An negligens fuerit circa orationes: contemplationes: le-ctiones: confeſſiones: pœnitentias: & cætera ſpiritualia. ¶ An negligenter ſe habuerit circa prouiſionem corporalium rerum uel temporalium neceſſariarum. ¶ An ſatiſfecerit officio ſi quod

sibi iniunctum fuerit. ¶ An sit assuetus mul-
tum dormitare uel stertere / scilicet usq; ad ho-
ram tertiarum. ¶ An pœnituit se benefecisse.
¶ An spe confitendi peccauit. ¶ An uanis noxi-
isq; uerbis atq; fabellis operã dedit. ¶ An a pec-
catis magis ratione pœnæ se abstinuit q̃ ratiõe
dei offensæ. ¶ An morum incompositus fuerit.
¶ An choreis multum delectatus sit. ¶ An non
fuerit diligens ut familia eius spiritualibus ua-
cet. ¶ An cuiq̃ uolenti bona operari impedimẽ-
to fuit. ¶ An omisit implere septem opera mise-
ricordiæ corporalia & spiritualia: quæ his uersi
bus continentur. Consule castiga solare remitte
fer ora. Visito poto cibo redimo tego colligo cõ-
do. ¶ Potest examinari de tribus uirtutibus the
ologicis/fide/spe/charitate. ¶ De quattuor etiã
cardinalibus: scilicet prudentia/temperãtia/for
titudine/& iustitia. ¶ De decem præceptis legis
¶ De quinq; sensibus corporis: & his similibus.

¶ Explicit breue scrutatoriolum seu
monumentum compendiosum pro
confessionibus a Celso Mapheo Ve
ronẽsi canonico regulari congestũ.

¶Ad Reuerendissimum Dominũ Cardinalem sancti Marci: Quomodo apostoli & clerici primitiuæ ecclesiæ erant Regulares: uiuebantq; in cõmuni: & uota perfectionis uitæ emittebant: Per. D. Celsum Mapheũ Veronensem canonicũ regularem congregationis Lateranensis.

r Euerendissime Pater & Domine/Qđ clerici regulares et perfecti primitiuæ ecclesiæ emittebãt uota ad opera supererogatiõis uel xp̃ianæ pfectionis: in præsenti septem rationibus uel auctoritatibus probabo.

¶Prima est ex scriptis Vrbani papæ martyris: ut hẽtur. xii. q. i. c. Scimus. ubi dicit q͙ uiuere in cõi uiget etiã tũc inter illos: qui in sortẽ domini electi sunt/clericos. Et infra dicit: Quicunq; uestrũ uitã cõem susceptã habet: & uouit se nihil propriũ habere: uideat ne pollicitationem suam irritã faciat. Et infra: Melius est non uouere: q̃ uotum/prout melius potest/non perficere. grauius enim puniunť/qui uotum fecerũt/& uotũ nõ pfecerũt: q̃ illi qui sine uoto mortui sunt &c̃.

¶Secunda ratio uel auctoritas est per exemplũ Ananiæ: qui nõ fuerat clericus: & tamẽ uotũ de pauptate fecerat. quanto magis illi qui erãt cle-

rici regulares perfecti & apostolici uotum facie bant? Qd autem Ananias fecerit uotũ pauper tatis patet. nam beatus Gregorius in registro/& habetur. xvii. q. i. c. Ananias. dicit: Ananias deo pecunias uouerat: quas postea uictus suasione diaboli subtraxit: sed qua morte mulctatus est scis. Et infra: Sic & tu qui sub monachali habi/tu deuoueras. ¶ Tertia ratio uel auctoritas est ex maxima sanctitate: quæ erat tunc in illis ui/ris apostolicis: quæ maior fuit oibus uiris san/ctis ante aduẽtum christi: uidelicet patriarchis & prophetis: & etiam illis qui fuerunt post eos. quia omnes doctores tenent ꝙ apostolis fuerit data maior copia spiritussancti/q̃ quibuscunq; sanctis præteritis & futuris: & ex consequenti opera eoꝝ erant perfectiora & sanctiora & ma/ioris meriti q̃ opera alioꝝ sanctoꝝ. Sed secundũ theologos & canonistas omne opus perfectum quod fit ex uoto est maioris meriti: q̃ quod fit si ne uoto. Ideo in psalmo hortatur Propheta: Vo uete & reddite. Et Moises in lege ueteri dicebat Quã frequẽtius hoc uouetis dño: ut sanctũ sit. Sed apostoli tũc diuino lumĩe illustrati hoc no uerãt/& ardebãt sũmo desiderio se deo deuoue re cũ suis rebus & corpe & aĩa. Ideo Petrus xp̃o

dixerat: Ecce nos reliquimus omnia/& secuti sumus te &c̃. Sed longe magis hoc egit post aduẽtum spiritussancti cum reliquis apostolis. quia christus dixerat: Si uis pfectus esse: uade & uende omnia quæ habes: & da pauperibus: & sequere me. & nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet &c̃. Et alibi de castitate: Sunt eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Et de obedientia: Qui uult uenire post me abneget semetipsum: & tollat crucem suam: & sequatur me. Hæc omnia egere primi regulares clerici: qui se ardentissime ad martyrium exponebant &c̃. Immo possumus dicere ꝙ esset quasi hereticum/uel saltem male dictum/ꝙ fuerit aliqua perfectio in ecclesia dei: quam non habuerunt apostoli & primi clerici ecclesiæ dei. uel ꝙ ipsi apostoli nõ fuerint assecuti oẽm uiam perfectionis/seu uotum/uel omne consilium dei de operandis operibus ex uoto: ut ipsa opera essent sanctiora. ¶ Quarta ratio uel auctoritas est ex dictis sancti Thomæ in.iiii.sen.d.xxxviii.ar.ii. q.iii.in respon.iii.arg[ti].qui dicit: ꝙ anteq̃ essent istæ regulæ approbatæ/quæ modo sunt/erat aliquis modus uiuẽdi ab ecclesia approbatus: quo modo aliqui ad ea quæ sunt supererogatiõis &

religionis se obligabant. & tunc certi temporis obligatio ad illum modum uiuendi idem facie/bat: quod nunc facit obligatio ad certam regu/gulã. Idem in. ii^a. ii^e. q. lxxxviii. ar. iiii. in respon. ult. arg^ti. dicit: q apostoli uouerunt ea quæ per/tinent ad perfectionem. ¶ Quinta ratio uel au/ctoritas ad probandum professiõem clericorum sumitur ex sermone beatissimi Augustini de cõ/muni uita clericoꝝ: cuius pars ponitur. xii. q. i. c. Certe. ubi Augustinus dicit: Certe ego sũ qui statueram sicut nostis nullum ordinare clericũ: nisi qui uellet mecum manere: & si uellet disce/dere a proposito recte ei tollerem clericatum. & infra dicit: Quis nesciat malum esse cadere a ꝓ/posito: sed peius est simulare propositum. Qui societatem cõmunis uitæ iam susceptã quæ lau/datur in actibus apostoloꝝ deserit: a uoto suo ca/dit: a professione sua cadit: obseruet iudicem/ sed deum/ nõ me. Et infra: Ego scio quantum malũ sit/ profiteri sanctũ aliquid: nec implere. Vouete inquit & reddite deo uestro. & melius est nõ uo/uere: q̃ uouere & non reddere. Clericus duas res professus est: sanctitatem/ & clericatũ. professus est igitur sanctitatem/ & cõmuniter uiuendi so/cietatẽ. si ab hoc ꝓposito cecidit: & extra manẽs

clericus fuerit / dimidius & ipse cecidit &c̃.
¶Sexta auctoritas est: quia Petrus de palude in iiii.d.xxxviii.ar.i.diffinitione.v.de uoto.conclusione.3ª.dicit: ꝙ apostoli uouerũt obedientiam: castitatem: & paupertatem: q̃uis scriptura non exprimat. Sicut nec de beata uirgine: quã tamẽ credimus uirginitatem uouisse. Immo & apostoli uidentur habuisse uotum solenne paupertatis: quia ad pedes eorum omnia ponebant / nec aliquis habebat proprium. ¶Septima ratio uel auctoritas est Augustini cõtra Manicheos: ubi dicit apostolos omnia tria uota emisisse: ut oẽm uiam perfectionis euangelicæ consequerentur.

Augustinus demum sanctissimus / uidens clericos multos uota emissa non seruare / in ipsorum æternam damnationem: distinctionem fecit. Et cum nolentibus clericis uota emittere uel obseruare eos laxioribus habenis permisit: quasi de malo minus malum eligens: ut patet.xii.q.i.in capº.Certe.

¶Impressum Romæ per Euchariũ Silber alias Franck: Anno domini Mº.CCCCº.XCIº.Mensis Ianuarii die uicesimanona.



